

mundi iis potissimum verbis exprimit, quæ non instaurationem vel in nobiliorem statum transmutationem: sed totalem abolitionem & destructionem, suffragantibus etiam Grammaticis & Phisicis notant & significant: qualia sunt perire, interire, abire, fugere, non existere &c.

41. Quid? quod ἀφ' ἑαυτοῦ καὶ ἀφ' ἑαυτοῦ pars est imaginis divinae, ad quam solus homo primum fuit conditus, non verò ulla creatura huius mundi alia. His ergò eam tribuere nimis foret absolum.

42. Adde, quòd, si mundi huius concedatur instauratio & renovatio: reliquarum etiam creaturarum omnium restitutio statuenda foret: siquidem ratio dari potest nulla, cur quedam saltem, non omnes: cur hæc, non illa orbis partes sint ab interitu vindicandæ.

43. Frivolum enim planè est; imò proflus ἀλογον, quod Scholastici docuerunt, ea tantum habitura immortalitatem, quæ ad eam aliquo modo fuerunt facta: quale sit corpus cœleste, uti simplicissimum, ita à contrarijs qualitatibus alienissimum: Item Elementa, quæ, quamvis quoad partes, generentur & corrumpantur: tamen quoad totum semper manent.

44. Nam & quod dicunt, non probant: & principium turpiter petunt: siquidem hoc ipsum queritur: an Cœlum & Elementa vi ac poten-